15.

Q. D. B. V.

VETERVM INSTITVTA
DRVIDVM

excutiet

PRAESIDE
CONRADO SAMVELE
SCHVRZFLEISCHIO,

RESPONDENS
M. ELIAS MARTINVS EYRINGIVS,
Fecha-Francus.


D. IVLII, A. cIɔ Iɔc XCVII.

In Auditorio Maiori,

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio LIV.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIɔ Iɔc XCIIX.



I.



Etus Druidum patria fuit Britannia, ex qva sodales eorum atqve sacerdotes in continentem egressi, Galliam institutis moribusqve suis erudierunt. *Caesar lib. VI. cap. 13. de bello Gallico.* *Disciplina* (Druidum) *in Britannia reperta, atqve inde in Galliam translata esse existimatur.* In Britannia, scribit Caesar, speciatim in Mona insula, ad magnam Britanniae insulam pertinente, qvae hodie *Angleseia* (indigenis Anglesey) nominatur, cuius meminit *Tacitus A. XIV. 29. 30.* Diversa enim est Mona *apud Caesarem lib. V. cap. 13. de B. G.* Recentioribus Mannia, et Menavia dicitur: in altera Bellus Mariscus, oppidum insulae princeps, in altera antistitis Soderensis sedes celebratur. Idem Caesar dictis subiicit. *Et nunc* (tempore, qvo Caesar scripsit) *qvi diligentius eam rem cognoscere volunt, plerunqve illo, discendi causa, proficiscuntur.* Non, *transfretant*, ut ex Caesare reddit Esaias Pufendorfius, qvod ei per incuriam, et aliud cogitanti excidit, qvippe ab aetate et stylo Caesaris plane alienum, *in dissert. de Druidibus cap. II.*

II. Literarum peritia eis in laude ponitur, qvas ad ingenii cultum, et ad vitae usum per esse aptas, haud ignorarunt. *Literis Graecis usos fuisse*, Caesar prodit, *B. G. lib. VI. cap. 14.* Qvod temere inficiatus est Franciscus Hottomannus, vir ceteroqvin et legum et literarum peritus, qvi loco iam adducto, vocabulum, *Graecis*, expunxit, idqve ex Caesare, perperam intellecto, approbare voluit, vel hoc inprimis

argumento, qvod Caesar ipse sibi repugnet, si qvidem hoc vocabulum retineatur. Nam paulo post subiungit, Gallos *in publicis privatisqve rationibus Graecis literis uti*, et nihilominus Graeci sermonis imperitos esse, superiore libro confirmat, tum qvod Caesar epistolam *Graecis conscriptam literis* eqviti cuidam Gallico deferendam tradiderit, ne sua ab Gallis hostibus consilia animadverterentur. *B. G. lib. V. cap. 48.* Graecae ergo lingvae ignaros fuisse Gallos, ne Druidibus qvidem exceptis, colligit *Hottomannus in Francogallia cap. II. et in not. ad Caesarem h. loc.* At non generatim et universe haec de Gallis scripsit Caesar, qvorum lingva ab aeqvali eius Marco Tullio Cicerone perstringitur, ut barbara, qvippe qvam, ne Hottomanno qvidem diffitente, *barbaro et immani terrore verborum* significare voluit, apud qvem duo haec vocabula, *barbarus et immanis*, (ut apud Plinium barbarus ferusqve) mutuo se declarant, ob eamqve causam coniunguntur, *in oratione pro Fonteio*, qvem Galliae praefuisse constat. Tantum igitur sermo Caesaris ad Druidas spectat, qvos Galli in maximis duntaxat reipublicae negotiis consulebant, neqve hi passim et disperse habitabant, sed in uno et altero loco, inprimis apud Carnutes Galliae Celticae populos, commorabantur. Id qvod laudatus belli Gallici scriptor comprobavit. *Ii* (Druides) *certo anni tempore in finibus Carnutum, qvae regio totius Galliae media habetur, considunt in loco consecrato.* Recte Graecus interpres convertit. ἑλληνικοῖς χρώμενοι γράμμασι. Qvamvis Gothofr. Iungermannus V. C. et *Arn. Montanus*, subdubitaverint, et vocabulum, *Graecis*, qvasi suspectum mendosumqve, *parenthesi* incluserint, ab Hottomanno, opinor, in hanc sententiam adducti. Qvare nihil mutarunt Aldus Manutius, Fulvius Vrsinus, et Petrus Ciacconius, in qvorum animis infixae erant interiores literae, qvarum usus est in codicibus tractandis perinde ac repurgandis. Illud tamen cursim

ſim admonebo, vocabulum , *luco*, magis commodum videri poſſe, qvam, *loco*, qvia lucos, eosqve conſecratos incolebant, atqve illic ſacris operam dabant. Ab his nomen eorum duxit *Plinius*, et diu poſt Caeſarem commemoravit: *roborum eligunt lucos*, *nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt*, *ut inde appellati qvoqve interpretatione Graeca poſſint Druidae videri. H.N. lib. XVI. cap. ult.* Hinc et σαρωνίδας ab Diodoro Siculo dictos putant, *bibl. lib. V.* Nec diſſentit Gvil. Camdenus, Britannicarum originum ſcientiſſimus, *in Britannia.* At non eſt vana ſuſpicio mendi, et varia huius nominis ſcriptura depravatum codicem prodit. In contextu operis legitur, σαρουίδας, in ora libri σαρουνίδας, et σαρωνίδας: rectius, ut exiſtimo, δρουίδας, qvemadmodum eos Graecus Caeſaris interpres ſcribit. Strabo δρυΐδας cognominavit, arceſſito e Graecia vocabulo, qvo ſignificatur qvercus. *Geograph. lib. IV.* Cum Strabone convenit Laertio , ob eandem ſcribendi formam. Exinde repetit *Svidas*, *in h. v.* Contra alii exiſtimant, peregrinum eſſe huius ſectae vocabulum, et a Britannis, vel Celtis impoſitum. Apud Hibernos qvercui reſpondere vocem *Draoi*, auctor eſt Rodericus Flahertus , rerum pariter Hibernicarum ac Britannicarum diligens ſcrutator, *part. III. Ogyg. domeſt. cap. 22.* Aegidius Bucherius retur, ab antiqvo nomine *Drud*, ſive *Trud*, appellatos, ut ſocietatis mutua fide initae ratio habeatur. *in Belg. Rom. lib. V. cap. 4.* Trogillus Arnkiel in Cimbrica antiqvitate verſatus, a veteri Saxonum verbo *Dru* deduxit, *cap. XXIII. de r*[illegible]*ntiqva Cimbrorum.* Sed illi non aſſentior, propterea qvod Anglo Saxones et Cimbri multis poſt Caeſarem ſeculis in Britanniam venerunt, ibiqve conſederunt , et populum lingvae ſocietate coniunxerunt. Tanto minus ſuffragari poſſum Hectori Boethio, ſcriptori haud inſcito, ſed perqvam fabuloſo, qvi ſacerdotes illos a Fynnano Scotiae rege inſtitutos affirmat , *lib. II.* Malim

vero nominis originem repetere a Britannis, qvam a Celtis, propterea qvod in Cambria, et sermone Cambrico etiamnum vestigia Graeci sermonis supersunt, qvod praeter alios, tradit Gallus apprime eruditus Petrus Danielis, in notis ad Qverolum, Plauti nomine inscriptum, qvanqvam aetate, et sermonis genere multo recentiorem. Ceterum in lectione Caesaris nihil muto, vel maxime ob auctoritatem Graeci interpretis, cum alioqvi vox ἄλσος instituto eius convenientior fuisset.

III. Sacerdotes hi caput sodalitatis suae habuerunt, cuius praecipua inter eos fuit dignitas, magnusqve vel ex eo accessit splendor, qvod curam munusqve principis eo in coetu gereret, atqve ad ultimum vitae tempus hoc tali honore fungeretur. Sive ergo sacrum ordinis praefectum, sive pontificem dixeris, nihil refert, qvoniam universo Druidum collegio cum summa auctoritate praefuit, ut Caesar indicat, locuples, et oculatus testis, qvi confirmat, hoc mortuo, alium, qvi reliqvis praestaret, *successione* principatum ordinis habuisse, vel si qvidem pari et aeqva conditione essent, *electioni* fuisse locum. *B. G. lib. VI. cap. 13. Omnibus Druidibus praeest unus, qvi summam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, si qvis ex reliqvis excellit dignitate, succedit: at si sunt plures pares, suffragio Druidum allegitur.* Alterum per διαδέχεσθαι, alterum per αἱρεῖσθαι apte expressit interpres Graecus. Nam dissidentis collegii aemulatio, ambitusqve vitium in eo cernebatur, si, qvod raro eveniebat, eousqve certarent sententiis, ut vim facerent, et bello experirentur. Idcirco subiungit. *Nonnunqvam etiam de principatu armis contendunt.* Summa certe Druidum praefecti dignitas vel ex eo potest existimari, qvod virtute potissimum et auctoritate constaret ille magistratus, et ob utramqve causam sine suffragio iniretur. Qvod ne Romae qvidem contigit Pontifici maximo,

qvippe

qvippe tributis populi comitiis creato, nec nisi suffragiis designato, ut vel ex solo Livio patet. Ab his Druidibus familiae in Gallia propagatae sunt, qvia matrimonio operam dabant, qvod idoneo Ausonii testimonio confirmare licet. Enimvero Phoebicium *Baiocassem*, *Druidarum stirpe* prognatum dicit ; Baiocasses autem eruditi ponunt in Normannia; haec autem in finibus Galliae Comatae, speciatim Celticae, includitur, qvod ex Mela haud difficulter probo. *lib. III. cap. 2. de situ orbis.* Locus Ausonii me admonet, ut *Baiocasses* a *Bellocassis* distingvam, qvos pro iisdem habuit *P. Pithoeus*, *Adversar. lib. I. cap. 3.* Separavit autem Auctor Notitiae Veteris, cum qvo argumenta historiae, et accuratiores locorum mensurae congruunt, rationem a Pithaeo dissentiendi firmant. Sed Bellocassi (sive ut alii legunt, Bellocasses) non sunt diversi a Velocassibus, qvos pro uno et eodem populo Caesar sumit. *B. G. lib. II. cap. 4. Vbi perperam Verocasses legunt, et collat. lib. VII. cap. 75.* Recentius est *Baiocassium*, sive ut alii nominant, *Baiocassinorum* nomen, et diu post Caesarem Strabonemqve usurpari coeptum.

IV. Locum apud suos virtute adepti sunt, et summo etiam studio sacra procurarunt , reiqve publicae causa labores et pericula subierunt , neqve consilia et cogitationes a communi utilitate seiunxerunt. Qvorum mores et instituta, in qvibus sapientiae et virtutis lumen eluxit, gnaviter descripsit Caesar , et qvi Caesarem haud dubie legit et secutus est, Strabo, accuratus sane Geographus, et rerum qvoqve civilium iudicio pollens. Ille rationem vitae, disciplinam et doctrinae capita tradit. Nam immortales esse animas, et homine mortuo , migrare ex hominis corpore in aliud corpus, affirmarunt. Res qvoqve arduas, et cognitione dignas pervestigarunt , non minus exculti animo , qvam ingenio sagaces. Tum diligenter coelum spectarunt, et ad divina recondita-

ditaqve omnia perqvirenda toto pectore incubuerunt, non deliciis effeminati, nec prava institutione, aut turpi consvetudine et licentia corrupti, sed cupiditate honestae laudis incensi, et omni virtute ornati. *Inprimis hoc volunt persvadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atqve hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* Prudens Caesar de secta Pythagorae tacet, qvia multum inter utrosqve interest, vel eo argumento, qvod Pythagoras statueret, animas hominum migrare in corpora pecudum, ex iisqve ad homines remigrare: contra qvam Druides putarunt, *ab aliis* (hominibus) *transire ad alios* (homines) qvod non convenit cum placitis Pythagorae, ut qvi existimaret, animam hominis in diversa animalia migrare, et multa variaqve migratione confecta, tandem in hominis corpus reverti. *Ioannes Brantius in h. lib. ex eo Petrus Lescaloperius, et Arnoldus Montanus.* Ex hac disciplina scripsit Diodorus Siculus, et μετεμψύχωσιν appellavit τὴν εἰς πᾶν ζῶον τῆς ψυχῆς μεταβολήν, *lib. I. et ad Gallorum instituta accommodavit lib. V.* Sed in eo παχυλῶς locutus est, qvod Pythagorae opinionem apud Gallos invaluisse memoravit. Ante Diodorum Herodotus eam de animarum μεταβολῇ sententiam verbo ἐσδύεσθαι indicavit, Valla per *immigrandi* verbum exposuit, Latine et significanter. *In lib. II. qvi Euterpe inscribitur, cap. 123.* Nihil addo de Porphyrio et Iamblicho philosophis, qvi Pythagorae doctrinam praeclare cognitam habuerunt. Primus inter Latinos Valerius Maximus, de recepta in Galliam Pythagorae secta tradit, et *idem Braccatos sensisse* confirmat, *qvod palliatus Pythagoras credidit, lib. II. c. 6.* Nihil tale extat apud Caesarem, ut sui oblitus annotavit Ef. Pufendorfius: nihil eiusmodi legitur apud Melam, Claudii aeqvalem; nam de Strabonis silentio iam supra constat. Amplius, *braccatos*, dixit Valerius, qvanqvam Caesar in Gallia ver-

verſatus, et gnarus locorum circunſpectusqve ſcriptor, Druidas in finibus Carnutum, et hoc certe argumento procul Gallia Braccata conſediſſe, prodit. Poſterior Caeſare Mela, ſed Valerio antiqvior, Comatae Galliae aſcripſit. Carnutes autem longe diſtant a Gallia braccata, qvippe qvae eſt ipſa Narbonenſis, ut e diverſo Gallia Comata includit Celticam, et ſimul Carnutes, Celticae populos, et hodie ad qvartam Celticae, qvae commutato nomine Lugdunenſis dicitur, partem relatos. Vbi ſilet more ſuo annotantium vulgus, neqve errorem, ſive mendum obſervat. Diodorum ergo, cui Gallia, et ritus Druidum minus explorati erant, qvam teſti oculato Caeſari, ſecutus eſt Valerius, et hunc forſan ſententiae auctorem habuit Ammianus Marcellinus, qvi Druidas ex auctoritate Pythagorae praecepiſſe, et de animarum immortalitate pronunciaſſe retulit, ſed de Pythagorica animarum migratione nihil ſubiunxit, et caute adeo eam doctrinae partem, qvam ſuam non fecerunt Druides, omiſit, ut maxime alia ſectae eius capita probarent. *Hiſtor. lib. XV. cap. 9. Inter hos* Druidae, inqvit, *ingeniis celſiores* (erectiores, acriores et ſagaciores) ***ut auctoritas Pythagorae decrevit*** (conſtituit, et conſenſu ſuo approbavit) *ſodaliciis aſtricti conſortiis* (arctiſſima vitae ritusqve ſocietate coniuncti, eiusqve rei gratia abditi in lucis, et ab aliis hominibus remoti, ac lege qvadam lata devincti, ut iure ſodalicii, ſive ut Iuſtini aetate locuti ſunt, iure ſodalicio uterentur) *qvaeſtionibus occultarum rerum altarumqve* (abſtruſarum et explicatu difficilium, atqve a vulgi intelligentia ſenſuqve disiunctarum, ut ſunt divinae coeleſtesqve omnes, difficultate impeditae, qvas minus ſcite *altas*, et vulgo *ſublimes* vocant, nullo optimi et auguſti aevi exemplo) *erecti ſunt* (ſua ſponte inducti, atqve exemplo et diſciplina ſacri ordinis, qvem profitentur, excitati) *deſpectantes humana* (aſpernantes, et pro nihilo ducentes conditio-

 nem

nem vitae huius, et negotia hominum, praesertim ritus suos ignorantium, atqve institutis et moribus sacri et sapientis collegii repugnantium) *pronunciarunt animas immortales.* Id est, palam dicunt, et pro certo affirmant, summaqve animorum consensione tradunt constanter et docent, animas interitus expertes, mutare domicilium, non morte extingvi. *Pronunciare* ceteroqvin est verbum praeconum, et iudicum, atqve adeo fori proprium, sed ea notione hoc loco alienum. Qvanqvam, ut memoria teneo, Druides qvoqve vero iuris significatu *pronunciarunt*, et iudicum auctoritate functi, sententias civiles et capitales tulerunt. Id praeterqvam aliunde constat, innuit etiam auctor Comoediae, titulo *Qveroli*, temporibus Theodosii, a Gallo qvodam erudito, et Plauti amante, cuius nomen ignoratur, conscriptae, et a Rob. Stephano evulgatae, apud qvem seqventia lego. *Ibi sententiae capitales de robore proferuntur.* Et qvidem, *ibi*, inqvit, id est, apud Druidas, et in collegio ac sodalitate Druidum, *sententiae capitales*, supplicium, aut exilium irrogantes, *de robore*, sub qvercu, sive in luco consecrato, et qvercubus consito, ubi sodalitia et conventus, ceremoniarum aeqve ac deliberationum, iudiciorumqve causa habuerunt, et nihil sine fronde roborum, ut Plinius loqvitur, faciendum putarunt: *proferuntur*, forensi, ut dixi, usu, pronunciantur.

V. Redeo ad praecipuum doctrinae caput, qvod cum ad animas hominum immortales pertinet, tum non magis Druidum ore traditum est, qvam literarum monumentis consignatum, et a sene Samio inde ex ultima Italia, et speciatim ex ea Italiae parte, qvae magna Graecia dicitur, in Galliam perlatum, constanterqve servatum. Sunt tamen, qvi putent, Druidas Pythagora antiqviores, inter qvos est Stephanus Forcatulus, qvi *plus mille annis philosophatos ante* scribit,

qvam

qvam eruditio Pythagorae in Italia innotuiſſet: de Gallorum imperio et philoſ. lib. I. Qvod ei pro ſummo in gentem Gallicam ſtudio condonandum eſt, qvamvis ceteroqvin ſit, qvi praeferatur *Io. Picardo, cuius* extat liber de *priſca Celtopaedia,* ſive *de admiranda priſcorum* (a qvibus Francogalli differunt) *Gallorum doctrina.* At liber futilis eſt, et nullo, ſi ingenue pronunciare velim, numero habendus. Reſtat Lucani, poetae hiſtorici, locus, prima ſpecie obſcurus, ſed eius ratio facilis explicataqve eſt, ſi cum Caeſare conferatur. Is a bello, qvod deſcribit, Pharſalico ſe convertit ad Druidas, et apta, neqve indecora digreſſione utitur ad exponendos ſapientiſſimorum ſacerdotum ritus. De animarum immortalitate haud ſecus, ac de earum in corpora migratione tradit. De Pythagora eodem, qvo Caeſar, modo tacet, et a Valerio, cuius paulo ante memini, diſſentit. Qvum dicit *umbras*, intelligit animas, qvae corporibus ſolutae, *non regna* inferorum *petant*, ſed in alium, et a noſtro diverſum orbem delatae, atqve in corpora aliorum hominum ingreſſae, degant ibi tanqvam in nativis ſedibus et vigeant, ac nulla interitus lege teneantur, eaqve cauſa ſit, cur nullo mortis metu a periculis deterreantur. Qvod a Caeſare ſumptum, mox declarat, et verba, in qvibus moriendi fiducia ponitur, ſubiicit, qvod *idem ſpiritus*, ſive eadem anima, naturam ſuam retinens, et in alia atqve alia corpora demigrans, *regat artus*, neqve amittat vim, et moderandi munus, qvippe qvod nunqvam agitatione et motu vacare poſſit; nec vero in noſtro, ſed in alieno, et remoto orbe excitet vires ſuas, et vigorem corporibus, in qvae transeat, impertiatur. Sed ubi qvaerendus ſit alius iſte mundus, non convenit inter Lucani explanatores. *Petrus de Ponte* exponit de Antipodibus, vel inſulis fortunatis; illos qvoqve deſignatos voluit *Omnibonus Leonicenus, apud Ioannem Taberium commentar. h. l.* Hunc ſe-

secutus est Lescaloperius, sed orationis sensum obscuritate implicuit, omissa particula negante, qva repugnantes Valerii et Lucani sententias distingvere debuisset. Nam qvae Druidum sententia erat, animae non commeabant ad inferos, qvoniam *mors media*, qvae hic traditur, eo spectabat, ut qvasi via qvaedam esset ad aevum sempiternum. Idcirco dicitur *mors media* inter vitam hanc, et alteram, sive qvod planius est, inter vitam praesentem, et futuram. Mela dixit, *vitam alteram ad manes*, ut indicaret, media morte, qvemadmodum putabant Druides, perveniri ad vitam alteram, eamqve sempiternam, qvippe qvam ille animarum in corpora transitus praecedit. V. *Ioannes Sulpitius Verulanus in Pharsal. I. 458.* Qvod non assecuti sunt *Farnabius, et Bersmannus*, viri utiqve docti et diligentes. In Grotiano Lucani indice nihil explanationis causa additum est, et in notis hunc locum, explanatu dignum, auctor praetermisit. Vsus vocabuli et constructio cum gignendi casu elegans est, nec poetis tantum et orationi vinctae, sed etiam numeris solutae liberaeqve convenit, et praeter ceteros a Mela, cuius auctoritas Lucano prodest, usurpatur.

VI. Vt vero sacrorum auctores, et ceremoniarum antistites fuere Druides, sic res omnes imperiumqve suae gentis religione contineri existimarunt, nec minus in sacerdotiis, qvam in reipublicae negotiis versati sunt, atqve in dirimendis populi litibus, et administrandus patriae iudiciis, componendisqve etiam bellis permagnam, et prope regiam auctoritatem habuerunt. *ὀυ μόνον ἐν ταῖς εἰρηνικαῖς χρείαις, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς πολέμους τούτοις μάλιστα πείθονται*, scilicet Galli, etiam studiis divisi, bellisqve mutuis impliciti, ut multi tunc erant Galliae principatus, et exiguo terrarum spatio circumscripti, qvi ob finium controversias, aliasqve aemulationum causas, saepe armis se lacessebant, apud qvos sententiae

Drui-

Druidum valebant, non secus, ac si regnum sub qvercu exercerent, Gallosqve populares hi soli maxime in officio continere possent, posthabitis sacerdotibus aliis, qvorum magnus ceteroqvin ibi numerus, a Druidum secta et sodalitate diversus fuit. Qvod de industria monere placuit, cum ob recte intelligendum Diodori locum, *οὐ μόνον οἱ φίλοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πολέμιοι, bibl. lib. V.* tum ob ineptam vulgi opinionem, qvasi Gallia non alios, qvam Druidum sacerdotes habuisset. Caesar qvidem sermonem de his solis intulit, qvod singulari prorsus et summo Druidum honori datum est; neqve enim silentium pro inficiatione haberi debet, vel hoc certe indicio, qvod sacerdotes feminas idem ille praetermisit, qvas tamen in ordinem Druidum ascriptas esse, haud negaverit, qvisqvis rerum post Caesaris tempora gestarum reminisci velit et recordari. *V. Lampridius in Alexandro severo, cap. LX. Vopiscus in Aureliano cap. XLIV. et in Numeriano cap. XV. et XVI.* Romanis invisi Druides viri pariter ac feminae memorantur, non ob religionem, neqve ob perspectam naturae rationem, et scientiam rerum abditarum, neqve ob divinandi studium, *de qvibus scribit Cicero lib. I. de divinat. et Iustinus lib. XXIV. ex iisqve repetit Otho Heurnius in barbar. philos. antiqvit. lib. II. cap. 33.* Sed ob crudelitatem in sacrificiis usitatam, propterea qvod humanis victimis litabant, cuius abolitae per Claudium feritatis vestigia nihilominus diu post eius tempora remanserunt; qvo respexit Mela, Claudii aeqvalis, *lib. III. cap. 2.* Apertius docet Tranqvillus, et dirae immanitatis religionem vocat, *in Claudio cap. XXV.* At propior Claudio Plinius, Tiberium perhibet, *sustulisse Druidas*, id est, immanissimum sacrificandi morem, Druidibus usitatum, abrogasse. *H. N. lib. XXX. cap. I.* Diversa erat ratio aliorum rituum, crudelitatis expertium, qvos non abrogavit Tiberius, neqve abolevit Claudius; neuter enim lucum sodalitati con-

ſecratum excidit, neuter ſodalitatem ipſam diſſipavit, qvod ex conſeqventium temporum eventis perſpicere ſatis poſſum. Qvare non eſt, cur ſubverear, Tranqvillum repugnare Plinio, qvandoqvidem *Auguſtus* nefando hoc litandi ritu tantum civibus interdixit, *Tiberius* qvoqve in urbe penitus abrogavit et ſuſtulit, *Claudius* deniqve, etiam extra urbem, et in Gallia transalpina, ſpeciatim Comata, eiusqve parte Celtica, delevit funditus et abolevit, videlicet pro ea parte, qva cum ſumma immanitate, et odio humani generis coniunctus fuit. *V. Iuſtus Lipſius ad Tacit. Annal. XII. 42.* Nam qvod alibi Tacitus de exciſis Druidum lucis refert, ad Druidas Britanniae ſpectat, qvos imperante Claudii ſucceſſore, Domitio Nerone, Paullinus Svetonius afflixit, fortunisqve evertit, nec conſecratis eorum nemoribus et ſylvis pepercit. Qvoniam ſacerdotes inſulae, de qva loqvitur, hoſtium loco habuit, eaqve capta, qvercus deiecit, et lucos ipſos extirpavit, qvippe qvos caeſis hominum victimis funeſtabant, contra ſententiam Auguſtorum Principum, qvorum edicta, priusqvam *Mona* Britanniae inſula ab illis ſubacta eſt, a transmarinis Druidibus negligebantur. Non capio, qvid velit *Levinus Torrentius*, qvum ex hoc, qvod attuli, teſtimonio, probare inſtituit, Druidas, poſt Claudium, in Gallia ſaltem permanſiſſe. *In notis ad Tranq. cap. XXV.* Mona enim extra Galliam ſita et acqviſita, hucusqve non obediebat Romanorum legibus, et retinebat ſuperiorem ſacrificandi conſvetudinem, qvam Claudius in Gallia, Romanae ditionis provincia, antiqvavit, cum Mona, nondum Romanis ſubiecta, priſtino more ſuo impune uteretur. Caeſaris *Mona*, ut ſupra dixi, non eſt huius loci. Perperam *Io. Saubertus* Taciti, qvem nominare debuit, Monam putavit eſſe *Vectim* inſulam, *in libro de ſacrificiis cap. XXI.* Illud autem ultro concedam, Druidas, ſi maxime totus eorum coetus diſſipatus fuiſſet, non

tamen

tamen omnia eorum ſacra deperiiſſe, neqve ſic reciſam eſſe radicem, qvin ſubinde ex ea ſurculi renaſcerentur. Vix tamen adduci poſſum, ut credam, inſtauraſſe ſuperiorem in ſacrificando ſaevitiam, qvam Romani humaniores, haud ferendam exiſtimarunt, factoqve SCto vetuerunt, *homines immolari. Plinius lib. XXX. cap. 1. fin.* Mirum adhuc videri poteſt, cur ſua aetate ſcribat Hieronymus, *ſe adoleſcentulum in Gallia vidiſſe Scotos, gentem Britannicam, humanis veſci carnibus, lib. II. cap. 6. adverſus Iovinianum.* Id vero Scoti Britanniqve nullo Druidum exemplo fecerunt, et immanitatem qvoqve feritatis acceſſione cumularunt, propterea qvod Druides caedebant captivos, ut immolarent, numinaqve impia his talibus victimis placarent, non ut devorarent, naturaeqve ſenſus repudiarent, qvibus ſufficiebat, mactare bello captos, ut ſangvine hoſtium aras imbuerent, fibrasqve ad vaticinandi ſuperſtitionem adhiberent. Hoc enim maxime cum diſciplina ſacerdotum Gallicorum congruebat, teſte poſt Caeſarem Tacito: *cruore captivo adolere aras, et hominum fibris conſulere Deos, fas habebant.* Sermo illi eſt de Britannis Monae incolis, qvorum Druides ad iſta usqve tempora immanem barbarumqve ſacrificandi morem ſervarunt. Cicero etiam de Gallorum Druidibus loqvens, invehitur in barbaram immolandi conſvetudinem, qvippe qvod *humanis hoſtiis* Deorum *aras, ac templa funeſtent, pro M. Fonteio.* Qvem ritum Galli qvoqve in Aſiam profecti, et ab Europaeis orti retinuerunt, atqve uſu probarunt, ut *fragmentum Sopatri Paphii*, ex comoedia, cui a Galatis titulum fecit, reliqvum, ſatis confirmat. Παρ᾽ οἷς (Γαλάταις) ἔθος ἐστὶν, ἡνίκ᾽ ἂν προτέρημά τι ἐν τοῖς πολέμοις λάβωσι, θύειν τοῖς θεοῖς τοὺς αἰχμαλώτους. Galatae ſunt iidem, qvi Gallograeci, a τοῖς κατὰ τὴν Κελτικὴν, diverſi. Horum ſuperſtitiones Victor *famoſas*, Solinus *deteſtabiles* vocat, *alter in Claudio, alter, qvantumvis de rei veri-*

ritate dubitans, polybiſt. cap. XVI. Sed cauſam non aſſeqvor, qvamobrem ille Plinii compilator dubitaverit, cum omnes Graeci Latiniqve conſentiant de humanis victimis, in Gallia immolatis. Tum vero Caeſar et Cicero, alter in Gallia, alter cum Gallis Romae, verſati, ritum hunc propius cognorunt, eumqve literis mandarunt. Accedit Taciti hoc ipſum confirmantis auctoritas, maxime qvod is in Belgio commoratus facile exploravit mores Druidum, qvi in vicina Britanniae inſula degebant, qvorum ſuperſtitiones ea de cauſa *ſaevas* nominat, nec magno temporis ſpatio disiunctus ab eo Plinius, in eandem loqvitur ſententiam, et magnum huius teſtimonio affert pondus. Cum enim ad iſtas hominum victimas reſpiciens, de *ſacri prodigioſi celebratione*, tradit, mox, inſtitutum perſeqvens, ſubiungit: *Gallias utiqve poſſedit*, illa videlicet *ſ. p. celebratio*, ſive ritus nefandi et deteſtabilis perfunctio. Amplius, ne ſit dubitandi locus, addit temporis argumentum, qvod multum apud omnes valet, nec obſcure declarat, Tiberium Neronem in ſubmovenda ſacrificii crudelitate, neqvicqvam officio ſuo defuiſſe, et *externas*, ut Druidum erant, *ceremonias* compeſcuiſſe, earumqve uſu ſacerdotes prohibuiſſe, qvin et *mathematicos* (divinandi peritos, et vaticinandi ſtudio deditos) Roma expuliſſe, neqve commorandi in Vrbe ſpatium dediſſe, niſi ab incepto, et ſuperſtitioſa conſvetudine deſiſterent, ſacrificiiqve genus mutarent. *Tranq. in Tiberio c. XXXVI.* Atqvi haec mihi diu multumqve cogitanti, facile tandem convenit cum explanatoribus, *Tiberium* Plinii pro Claudio habentibus, ſic ut Plinius hunc tantum praenomine ſuo appellaſſe videatur. Qvae conciliandi ratio momentum habet, ſi cum uſu loqvendi veterum congruit, et vel uno Qviritum exemplo confirmatur. Cum vero Svetonius Claudium qvoqve eo praenomine ſignaverit, et Plinius Claudio, qvi barbarum immolandi morem in Gallia ſuſtulit, propior fuerit, non difficile eſt colligere, Plinium

eo,

eo, qvem saepius dixi, loco designasse Claudium, qvippe ab aetate Plinii minus remotum. Apparet id ex verbis paulo post subiectis, *ad nostram memoriam,* tanto qvidem clarius, qvanto est certius, Tiberium Neronem Romae Druidas compescuisse. Hoc libro qvarto affirmavit Strabo, qvi adhuc Tiberio imperante scripsit, et diu ante Claudium obiit, non obscurus, neqve incertus testis, et cum Svetonio, ut planius intelligatur, coniungendus. *in Tiber. c. XXXV.* Qvos in urbe refrenavit et coercuit Tiberius, (in provinciis tentavit magis, qvam perfecit) eos Claudius universe ab immanitate continuit, et ab instituto ac more sacrificandi impio retraxit: καὶ τούτων ἔπαυσαν αὐτοὺς Ῥωμαῖοι, καὶ τῶν κατὰ τὰς θυσίας, καὶ μαντείας ὑπεναντίων τοῖς παρ' ἡμῖν νομίμοις. Romanos dicit Strabo, magistratus auspicio et auctoritate Tiberii Neronis constitutos, ut ritus Druidum expurgarent, eoqve modo sacerdotes ad humanitatem revocarent. Plus deinde praestitit *Claudius*, qvi extirpata sacerdotum crudelitate, caput SCti veteris, qvod supra memini, implevit. Hunc Augustus, maior avunculus, seorsim, et omisso nomine, *Tiberium* vocavit, ut auctor est Svetonius in *fragmento*, qvod ex epistolis Augusti protulit, et posteritati servavit. *in Claudio c. IV. Nepoti,* inqvit, *tuo Tiberio,* intelligens TI. Claudium Drusum. *Phil. Beroaldus ad hoc, et XXV. caput, qvi viam praeivit* Lescaloperio *c. XIX. Theol. vet. Gallor.* Exinde liqvet, non destitui auctoritate Plinium, qvem legisse familiares Augusti epistolas, vix erit, qvi dubitare ausit, maxime qvod tunc integrae extarent, et a Svetonio etiam post tempora Plinii adhuc legerentur. Dissentit Bucherius, et allato Strabonis testimonio se tuetur, cuius summa in eo posita est, ut Tiberio sublatae huius superstitionis honor omnino tribuatur. Qvae Strabonis verba recte capienda, et apte exponenda sunt, qvoniam Tiberius Nero Gallos superiori modo sacrificare vetuit, sed ritum sacrificandi non prorsus exuit, qvanqvam edicto eam in sententiam promulgato effecit, ut sacrificia et saevi ritus aliqvandiu cessarent. Aperte enim scribit, τούτων ἔπαυσαν, Romani *cessare Druidas, aut desiste-*

re fecerunt (sic loqvi nunc mihi liceat) non ritus eorum funditus everterunt, nec universe sustulerunt. Conatus maior, qvam effectus successusqve Tiberiani edicti fuit, qvod a conseqventi probare possum, et inprimis auctore Svetonio confirmare. Nam *penitus abolevit* Claudius, et usqveqvaqve sustulit istam religionem, sive superstitionem potius, qva ad saevum immolandi morem pertinebat. Taceo de idonea temporis ratione, qvae non magis expedite et commode, qvam cum hac Plinii explanatione conciliatur. Sed *Io. Harduinus* hic silet, in vulgata hactenus et recepta interpretatione innixus.

VII. An et qvando Druides in Germaniam venerint, non definiunt scriptores, nec aperte tradunt. Neqve enim Galliae finibus se continuerunt, neqve solum in Germaniam, sed etiam in finitima regna demigrarunt, maxime qvum Franci in Gallia armis subacta, Christo nomen darent, admonitiqve a Pontificibus, barbaros impiosqve ritus ex civitate Christiana, et regno suo exterminarent. Inde profecti, latibula superstitionis apud Mosellam, Rhenum atqve Danubium qvaerenda, et sub qvernis frondibus instituenda, atqve instauranda rati, novis ibi auspiciis et vaticinari, et philosophari, et sacris operari coeperunt. De Mosellae tractu antiqva inscriptio testatur.

SILVANO. (non SYLVANO, ut Bucherius)
SACR.
ET. NYMPHIS. * LOCI.
ARETE. DRVIS.
ANTISTITA. **
SOMNO. MONITA. ***
D.

Druis, eaqve sacerdos femina, sive Druias, ut Lampridius et Vopiscus mulierem huic superstitioni deditam nominant, fuit in Gallia Belgica, speciatim in Mediomatricorum agro, ubi repertum est monimentum, urbe Metensi dignum, *qvod ex Boissardo protulit Gruterus.* Hinc in regiones trans Rhenum sitas progressi, ad Boios, Hessos, Venedosqve se contulerunt, servatoqve religionis more, nemorum latebras, et lucorum reces-

** Non emendate, NIMPHIS.*

*** Prorsus recte, etiam in oratione prorsa, speciatim Verrin. IV. auctoritate Gellii et Prisciani: tum in antiqvis inscriptionibus aevi nondum inqvinati, ad cuius laudem accedit haec in agro Mosellano inventa et animadversa.*

**** Monita; proprie in hoc argumento, de re per qvietem divinitus significata, somnio ab Iove misso, qvemadmodum hoc loco Druis voti religione se alligavit, et promissi fidem liberans, solvit. V. Homerus Iliad. I. 63. eumqve secutus Cicero, aut certe Balbus apud Ciceronem de Nat. Deor. lib. III. sub finem. Vbi docet, somnia ad nos mitti ab Iove, vulgo immitti dicunt. Sicut vero sacerdos haec monita traditur sic alibi nomine monitus oraculum in somnis editum denotatur, de divinat. l. II.*

ſus,ut fieri maxime potuit,qvernae frondis, et viſci cauſa delegerunt. Ab illo ſacrae qvercus cultu ortum eſt in Baioaria nomen *Altaichii* ſuperioris et inferioris,*apud Io. Aventinum annal. Boi.l.III.* In Heſſia apud Geismariam qvercus hoc ritu conſecrata ſtetit, poſtea iuſſu Bonifacii exciſa,*Gvil. Dilichus in Chron. Heſſ.p.174.* Arborem vocat,non pro Iove cultam,ut putat,ſed Iovi dedicatam,vero et proprio nomine qvercum ἱερὰν ζηνὸς δρύα, *in vet.epigrammate*, qvod oſtendit Plinius *l.XVI.c.44.* Neqve omiſit *Maro*, *Georg.III.332. Aen.III.681.* Eodem refero, qvod conſignavit Helmoldus. *Illic inter vetuſtiſſimas arbores, vidimus ſacras qvercus,qvae dicatae fuerant Deo terrae illius Proven. Chron. Slavor. l.I.c.83.* Longius proceſſit haec ſuperſtitio,et ab ulteriori Slavia ſe commovit,atqve in ſeptentrionem pervaſit, Sveonumqve animos infecit. *Adamus Bremenſis de ſitu regnor. Septentr.c.234.* Nec modo eam non repreſſit mare,ſed ne Alpium qvidem iuga, qvin Italiam corriperet,impedire potuerunt. Qva in re non coniectura nitor,ſed auctoritate *legis Langobardorum, l.II.t.38. a principio.* Huiusmodi arbores dicebantur *ſacrivae* (illiteratis ea tempeſtate hominibus, *ſacrivi*) Qvae arbores Diis , aut *daemonibus* conſecratae paſſim in conciliis Galliae provincialibus Antiſſiodorenſi, Nannetenſi, Arelatenſi, Turonenſi, et ſanctionibus eccleſiaſticis, ſpeciatim *Capitularibus* Caroli M. improbantur, promulgatis in hanc ſententiam mandatis, ut hae et tales arbores aut *radicitus excindantur,* aut *peſſimus earum uſus,et Deo execrabilis*, impiaqve voti exolvendi ſuperſtitio, penitus *tollantur,* qvemadmodum id conſtitutum eſt in *Conc. apud Nannetes habito,c.XX.et in Capitular. Aqvisgr. c.LXVI.de auguriis,vel aliis maleficiis.* Non qvidem tunc immolare in Gallia homines licebat, neqve ea de cauſa impius grex conveniebat, ſed ut ſupplicaret ad arbores,votaqve ibi nuncuparet ac ſolveret, et ramos adeo frondesqve divinandi et precandi cauſa veneraretur. Hinc explanationis cauſa inſerui vocabula, qvae ſummam rei, peſſimaeqve conſvetudinis ſtatim ante oculos ponunt. Nec tamen ignoro, alibi in Germania ſae-

vum litandi morem adhuc tenuisse,eiusqve rei causa nonChristianos homines(paganos)aChristianis mancipia emere solitos, ut horum cruore Numina placarent, foedoqve ritu sacrificarent. *V.epistola Gregorii II. Pont. Ro. ad Bonifacium,in volumen, qvo sancti Antistitis epistolae continentur,relata,eaqve CXXII.et Vita S.VVulfrommii;* utraqve digna lectu,et immanis barbaraeqve impietatis nondum illo, qvod miror, tempore extirpatae documentum,fide publica, qvam nemo infirmare ausit,corroboratum. De Prussis et Sarmatis nulla mirandi causa superest, qvippe qvi arbores et qvercus palam venerati sunt, nec eodem, qvo Germani, seculo, hanc superstitionem deseruerunt. Cuius rei fama ad vicinos pervenit, et magno consensu ab utriusqve gentis scriptoribus est confirmata. Ex usu fuerit, evolvere *Petrum Dusburgium in Chron. Prussiae, part.III. Erasmum Stellam,et Simonem Grunovium, qvos seqvuntur Casp.Schuzius, et Casp.Hennebergerus.* Assentiuntur Poloni, *Io.Dlugossus l.VI. annal Polon. ac Matthias Michovius l.IV. Chron.Pol.* De Lithuanis idem hoc tradit *Mart. Cromerus l XV. ex eo Salomon Neugebauer,et Elias Schedius de Dis Germanis syngram.II.c.24.* Sed in hoc qvaedam minus accurate,qvaedam minus emendate posita animadverti: nihilo rectius est, qvod auctoritatem Caesaris oppugnavit,negantis,sub illud tempus,qvo de Gallis scripsit,in Germania extitisse Druidas, qvem cum Tacito imprudenter committit,et Germanorum sacerdotes,ex eorum numero fuisse putat, qvi Druides nominantur. *Syngr. cit. l. c. 1.* De veteri Hungaria legi par est *decreta Ladislai,in qvorum l.I.c.22.* observare licet,non defuisse qvondam inter Hungaros, qvi *ad arbores offerrent* (sacrificarent) Ne longius abeam, unum illud de Saxonibus antiqvis,et adhuc barbaris,qvod prope mihi exciderat, saltem in extremo huius disputationis indicandum est, eos cum simulacra,tum arbores divino honore prosecutos,fortitudine magis,et belli, qvam verae pietatis laude floruisse, eaqve ratione Carolum Magnum, ut superstitione cultus arborum maioribus nostris interdiceret,adductum,ne qvid deinceps Dei honore indignum fieret,sanxisse, *in Capit.de partibus Saxon.c.XX.*